



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Eius in ægros & infirmos affectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

ritate eis obsequebatur; nec per viam, nisi diuini de rebus, verba faciebat. Conspicatus aliquando colloctionis tempore, quemdam solitariè stantem, Patri cuidam quocum agebat, Quidni, mi Pater, ait, ad bonum illum Fratrem sine socio stantem, alloquendum recreandumque accedimus? Aliàs frequenter duobus simul Coadiutoribus visis, ipse tertium se admiscebat, officij præstandi causâ; aliorum suorum collegarum societate non inurbanè desertâ; qui studio eius approbato, mox ita inter sese: *Fateri denique necesse est, Iuuenem hunc reuera esse sanctum.* Dicit non potest, quantâ eos charitate, cum ægri essent, habebat. Sæpius visibat per diem, cælestibus, nec iniucundis colloquijs recreabat: æstate, feruentioribus horis, aquam eis è fonte recentem hauriebat, ori refrigerando propinabat, lauandis manibus affundebat; atque vt eorum corpora reficiebat aquæ recentis frigore, sic animos accendebat recreabatque ardente illâ charitate, quâ promptissimè illis seruibat. Diebus Veneris, quando Hortatio domi haberi solet, lubens à cœnâ, quæ dicta erant, ijs repetebat; quotidie verò historiam aliquam de beatissimâ Virgine adferebat. Cumque illi explorationum haberent, quâ ferè horâ venire solet, magno eius desiderio opperiebantur aduentum,

IOANNIS BERCHMANNI. 115
tum, lætiq̄ue iactabant, Iam mox aderit
Ioannes ad historiam narrandam. Et si quan-
do impeditus ad horam fortè non venisset,
Domus Ministrum exorabant, vt venire
eum iuberet, adeò præsentia illius consolari
se experiebantur. Quotidie ad ægrorum om-
nium lectulos promiscuè visibat, ab ingressu
nosocomij exorsus; eosq̄ue solabatur diutiùs
qui (quòd rariùs visebantur) maiore solatio
indigebant. Ex cubiculis, vbi maiores depre-
hendebat visitantium cœtus, breuissimè ex-
cedebat ad eos, quorum lectuli nullo confor-
tio cingebantur. Quoniam autem aliquan-
do per contagionis metum eâ visitandi li-
centia per dies aliquot domesticis fuerat à
Superioribus interdictum, Ioannes, qui visen-
di officio defungi pro more non poterat, ab
Ægrorum curatore diligenter quærebat, ec-
qui singuli valerent. Hanc tantam charitatis
prolixitatem non ægris modò, sed valentibus
quoque præstabat, quoties obsequium suum
poscebatur; vixq̄ue pronuntiatis verbis,
promptus, hac similive formâ respondebat:
Effectum dabo, mi Pater, & lubens. Si labo-
raret P. Minister de reperiendo quem so-
cium adderet egredi cupientibus, Ioannes
unicum eius erat perfugium, obtemperabat-
q̄ue semper, nullo commutato verbo. Ag-
quia semel à studijs ad comitandum auoca-

H 2 tus,

tus, (cū tuendis fortè Philosophiæ thesibus ardentius incumbere, temporeque egeret) senserat aduersus imperium internam quamdam obluetationem; & in præsens quidem, nullo dato signo, comitatus fuit, sed mox domum reuersus, ad suum illum animi motum aduertere, diebus aliquot singulare examen adhibere, maturas præterea considerationes infumere, donec paulò post, ad me venit indicatum, partam tandem, diuinâ ope, sui ipsius victoriam, neque iam vllam persentificare se repugnationem.

Peractis Philosophiæ disputationibus, sæpius eo Minister ad egrediendum utebatur, siue quòd plures eius appeterent societatem, siue quòd vacuus nullus illo promptior esset, aut magis præstò: euenitque subinde, vt vix cum vno aliquo regressus domum, denuò cum altero egredi iuberetur. Ac semel, flagrantissimis æstatis caloribus, ter quaterve die vno foras egressus, cubiculi eius contubernalis, vicem Ioannis miseratus, Obsecro te, mi frater, inquit, vide etiam atque etiam quid agas, neque per imprudentiam pecces, aut certè in morbum te calores isti conijcient. Tum ille placidè, Mi frater, ait, prudentiam ego Moderatoribus relinquo; obedire mea solius cautio est. Festo fortè die Scholasticus aliquis, feruentissimo leonis sidere, sub ipsum
meri-